



Universitätsbibliothek Paderborn

**Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium,
Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum
Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus VIII. De obligatione compensandi damnum datum &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS VIII.

De obligatione compensandi damnum datum &c.

Clepander sur noctu cum lumine domum Caii ingressus horologium, vestes, aliisque mobilia domestica furtô surripit, & relicto domûs ostio aperto aufugit, dumque domo egreditur, casu, & præter suam intentionem domum incendit. Horologium furtivum postea pretio 30. fl. vendit Titio bonæ fidei emptori, qui rursus illud distrahit pretio 30. fl. quos omnes donat Antonio nepoti suo ad Studia abeunti.

QUÆR. I. An Clepander fur teneatur damnum resarcire, quod ex incendio domûs passus est Caius?

QUÆR. II. An fur relinquens ostium domûs, in qua furatus est, apertum teneatur etiam ad compensandum damnum datum ab alio fure, qui reperiens ostium apertum, domum & ipse ingreditur, & furatur?

QUÆR. III. An Antonius nepos, & ipse Titius, rescientes postea horologium fuisse furtivum, ad aliquam restitutionem teneantur?

AD 1. Q. Tenendum est cum Molina D. 728. n. 2. Lug. D. 18. Sect. 4. n. 87. Dicastill. D. 3. n. 72. aliisque Clepandrum non obligari ad compensanda damage per illud incendium Cajo illata. Ratio est, quia, ut arguit Molina, Clepander neque teneatur ad damnum compensandum ex contractu, neque ex lege aliqua positiva, cum nulla talis reperiatur, & siqua foret, esset illa penalnis, & ante sententiam non obligaret, neque tenetur ex delicto, seu iusta acceptione, quia

actio illa quoad eas circumstantias non fuit formaliter iusta, sicut iusta non esset, si Clepander non animo furandi ex legitima causa domum illam ingressus fuisset; incendium enim non prævidebat, & illa luminis gestatio non erat formalis laesio juris, quod Caius habebat in domum suam, hoc ipso, quod talis gestatio ex se non afferat proximum periculum incendi domûs, nec gestare lumen per domum alienam ex se sit contra justitiam; quia illud periculum incendi est valde remo-

H 3 tum,

tum, & per accidens, nec justitia obliget ad præcavenda pericula adeo remota, & non prævisa.

Quòd si in posito casu Clepander ingrederetur Caji domum ad furandum vestes, aliaque, & præter intentionem incenderet domum, & sic etiam vestes conburerentur, quas furari volebat, neque tunc pretium vestium restituere teneretur; quia obligatio restituendi valorem rei furtivæ pereuntis apud furem oritur ex furto in effectu posito; non autem ex effectu furandi, quia quamdiu furtum non est commissum cum effectu, non est illata injuria cum effectu circa rem illam, sed solum in effectu, quod non sufficit ad inducendam obligationem restituendi.

Quòd si vestes quidem apprehendisset, sed tamen eas alio non deportasset, sed dum alia simul accipere tentat, orto incendiō, etiam illæ conburerentur, eo invito, adhuc non obligaretur vestium pretium restituere, quia hæc sua acceptio non fuisset causa efficax damni, hoc ipso, quòd eodem modo fuissent conburendæ, quamvis non attigisset; quoties autem res furtiva perit apud furem eodem modo peritura apud Dominum, per se non datur obligatio restituendi.

57 Ad 2. Q. Dicendum est in po-

sito casu Clepandrum ostium dominus apertum relinquentem obligari ad refacienda domina etiam ab alio fure illata. Ita Lugo l. c. Dicastill. n. 70. Tambur l. 6. c. 4. §. 2. Sporer tr. 4. c. 2. n. 193. la Croix l. 3. p. 2. n. 169. aliquie. Ratio sumitur ex regula communiter recepta, quòd scilicet dans operam rei illicitæ non teneatur ad compensandum damnum, quando illius actio propter periculum damni inferendi non est prohibita ex debito justitiæ, sed est duntaxat contra aliam virtutem, nec ullo modo prævideatur damnum inde per accidens oriturum, ut si v. g. die festo labores, & hac occasione præter tuam intentionem, accenso igne, conburantur alienæ segetes. Econtra verò dari obligationem compensandi damnum tunc, quando actio propter tale periculum est contra justitiam, seu contra jus alterius, quod habet, ne talis actio ponatur. Atqui actio Clepandri effringendi fores, ostiumque apriendi, atque illud apertum relinquenti, ut alii ingredi possint, est contra justitiam, seu jus Caji, quod habebat ad conservationem rei suæ in domo sua clausæ, propter periculum, cui rem familiarem exposuit, & quidem proximum, ac per se, quia occasio ostii aperti de se est allictiva furis ad furandum; atque adeo obligabitur ex delicto formaliter commiso etiam in ordine ad illam cir-

circumstantiam, & periculum silius damni ad illud inde ortuū compensandum.

58 Ad 3. Q. Notandum, scindūmque est, præcindendo à speciali contractu, & legis aut Judicis dispositione, duas duntaxat esse radices seu titulos restitutio-
nis, ut tenet communissima TT,
cum S. Th. 2. 2. q. 62. n. 6. & 7.
Prima est res accepta. Secunda, in-
justa acceptatio.

Ex radice, seu titulo *rei acceptæ* restituere obligatur quicunque rem alienam possidet, ac retinet, etiam sine sua culpa formaliter, sive dein res extet in se, sive in æquivalenti, inquantum scilicet factus est inde dicitur, & quidem per se tenetur rem restituere, quamprimum intelligit, esse alienam; quod si tunc eam omnino restituere nollet, non tantum ex re accepta, sed etiam ex titulo in-
justæ acceptioñis reddere tene-
retur, tanquam injustus possel-
for.

Ex radice, seu titulo *injustæ ac-
ceptioñis* ad restitutionem tenetur quisquis alterum voluntariè, & per culpam, seu injuriam formalem damnificavit, etsi inde non sit factus locupletior, imo etsi ipse damnum inde passus esset, ut si v. g. meam domum incendendo, tua quoque vicina domus confia-
grasset; & hic quoque titulus

fundatur in ipso jure naturæ di-
stante: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & si alias hic titulus non fundaret obligationem restitutioñis, via panderetur innumeris fraudibus & furtis, rebusque humanis pessimè consulatum foret, nec humana Societas, & Res publica satis conservari pos-
sent.

Ex his patet, graviorem esse obligationem restituendi ex injus-
ta acceptioñe, quam ex re ac-
cepta; ex hac enim non teneris, nisi res apud te formaliter extet, vel æquivalenter, inquantum fa-
ctus es dicitur, ut dictum est, adeo-
que si res aliena casu, aliove mo-
do destructa fuerit, vel perie-
rit absque tuo lucro, aut cul-
pa, ad nihil teneris. Contra
verò ex injusta acceptioñe tene-
ris, quamvis res nullo modo ex-
tet, nullumque commodum, sed
potius damnum inde retuleris, &
insuper teneris omnia damna inde
secuta relarcire,

Porrò ad contrahendam obliga-
tionem restituendi ex titulo injus-
tae læsionis dao sunt necessaria,
scilicet ut damnum illatum sit, &
ut sit illatum contra justitiam,
sive per injuriam, non autem
contra alias virtutes: Unde qui
non succurrat proximo indigen-
ti, quando tenetur, non dando
v. g. Eleemosynam, peccat qui-
dem,

dem, sed ad restitutionem non tenetur.

60 Ex modò dictis colligitur responsio ad 3. Q. Si enim Cajus bonæ fidei emptor rem alienam à se bona fide emptam alteri eodem pretio vendat, & ejus premium Antonio nepoti donet, aliàs non donaturus, nec aliud donum reciprocum ab eo recipiat, nec Cajus, nec Antonius nepos tenetur ad aliquid rei domino restituendum. Non Cajus, quia ipse rem alienam nec in se, nec in æquivalenti detinet, adeoque non est inde factus ditior. Non Antonius nepos, quia hic non est factus ditior ex re aliena, sed ex pretio sibi donato, cuius dominium ipse Cajus, jure ita disponente, acquisivit per venditionem rei prius à se bona fide emptæ factam, leg. qui vas §. ult. ff. de furtis. Item leg. rem alienam ff. de contrah. empt. & l. ex empto, ff. de actionib. empti. Aliud esset, si Cajus premium alteri non donasset, sed sibi reservasset; tunc enim teneretur illud Domino comparenti restituere, si Dominus non posset rem suam aliter vindicare, quia tunc ex alieno factus esset locupletior, uti etiam tunc, si tantundem pecuniarum de suis aliàs donasset Antonio nepoti; nam possessor bonæ fidei, qui rem alienam, putans esse suam, alteri donat, aliàs donaturus aliam

rem suam æquivalentem, tenetur illam vel ejus premium restituere, quia sic parcendo suis rebus factus est ditior, secùs si aliàs nullam ex suis donasset, quia tunc non esset locupletior factus ex re aliena; hinc dixi suprà aliàs non donaturus &c.

Colliges 2. Eum ad nullam obligari restitutionem, qui bona fide equum alienum eodem vel minori pretio, quo eum emerat, alteri vendidit, quia etiam in hoc casu non plus pecunia habet, quam habebat ante rei empitionem, adeoque per hoc non est ditior factus. Contrà verò si possessor bonæ fidei rem alienam vendidit, quam gratis accepérat v. g. à sure sibi donatam, teneri tunc restituere totum premium, quia toto eo pretio factus est ditior.

Colliges 3. Possessorem bonæ fidei, qui rem emit 20. fl. v. g. & 30. fl. eam vendidit, teneri decem florenos restituere, quia his factus est locupletior, & premium justum rei venditæ est quasi fructus illius; si tamen rei venditæ excessus proveniat præcisè ex sua industria, ad nihil cum obligari, quia illud auctarium est premium, seu fructus industria, ad eum pertinens, qui industriam adhibuit.

Colli-

Colliges 4. Non posse possessorum bonæ fidei à domino exigere pretium pro restitutione rei alienæ, etiam si ipsem eam emerit, quia sic rem domini venderet rei domino, quod juri naturali, & humano adversatur; potest tamen ipse pretium rei emptæ à venditore repeteret, si conveniri possit; secus sibi, siueque in emendo incuriæ imputare debet, si pretii jacturam facere debet.

Colliget 5. Possessorem malæ fidei teneri rem domino restituere, si extat, aut ejus estimationem si perierit, quantumvis

casu, & sine ejus culpa interierit: imo etsi apud dominum res æquè erat peritura per injuriam alicujus tertii, quia præveniendo alterius tertii injuriam suscepit in se obligationem, quam alter tertius habuisset. Præterea refarcire debere domino omne aliud damnum emergens, & lucrum cessans, cuius damni causa ipse extitit, quia tenetur ex radice injustæ acceptationis dominum rei servare indemnem, eumque in integrum, & ad perfectam æqualitatem restituere, ut docet communis DD. & patet ex l. bonæ fidei, ff. de acquir. R. D.



R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

I

CA-